Non ignoret is, cujus ex interpellatione aliquis secundum datam formam in longinqua protractus fuerit examina, quod si culpa sua fuerit dilata cognitio, vel minime actioni suae adfuerit, vel delata [non] probaverit: pro calumnia quidem poenam luit legitime constitutam, pro pecuniaria vero causa, post sumptus⁴ considerata quantitate postulatorum, vel medii itineris intervallo, condemnationem pro aestimatione iudicis sustinebit. — Dat. 5 id. novemb. *Constantinop.*, *VALENT. A.* 6 et *AVIENO COSS.* 450.

5. Imp. ZENO.

Constitutio praecipit, ut quis iudex in sententia sua jubeat victum factos in iudicio sumptus prestare⁵. Habet et potestatem iudex transcendendi sumptum ad decimam usque partem eorum, quae impensa sunt, si eum ad hoc partis ejus, quae sumptum profudit, impudentia permoverit: ita ut ea, quae impensas excedunt, ad fiscales rationes pertineant, nisi forte iudex detrimentum partis victricis sarcire volens, partem aliquam horum ei adsignet. Neque tantum actor atque reus (in expensas) condemnantur, quam iudex utrique competens est; verum etiam quum non est iudex actoris competens: qui tamen ex reconventionem victus sit, nec eum iudicem recusare possit: sive adeo praesides, sive dati a principe arbitri, iudices fuerint. Nam et hi suos executores atque compulsores habent. Quod si iudex non fecerit, ipse parti victrici damnum illud compensare cogitur. — § 1. Si quis vero conventus bona fide solverit, aut actor lite destiterit, aut etiam iudex inveniatur eum non calumniatorem, sed de re dubia litigantem: hic evitabit impensarum condemnationem. — § 2. Manifestum est autem, quod in iudicibus pedaneis praeses [seu magistratus] est, qui debet eis assignare officialem [seu apparitorem] haec tractantem [seu dirigentem]. — Dat. 7 kalend. april. post consulatum *LONGINI.*

6. Imp. ANASTASIUS A. Stephano magistro militum.

Cum quidam per leges sacrasque constitutiones, alii per speciales largitates sibi praestita privilegia praetendant, tam super sportulis⁶ pro conventionibus usque ad certam quantitatem praebendis, quam super expensis litium, vel minuentis, vel penitus non agnoscendis: per hanc legem decernimus, ut quicumque huiusmodi privilegio munitus est, vel postea talem praerogativam quolibet modo meruerit, sciat, et si quod ipse, utpote obnoxios sibi pro quacunque criminali, vel civili causa constitutos, in accusationem deduxerit: hos nihilominus iisdem privilegiis potituros: quoniam non est ferendum⁷, eos, qui praefatas praerogativas (ut [jam] ante latum est) praetendant, aliquid plus ab adversariis suis querere concedi, quam ipsi ab aliis pulsati facere patiantur: ita scilicet, ut haec quidem forma modis omnibus observetur super privilegiis per liberalitates, vel generaliter quibusdam officiis, aut scholis, seu dignitatibus, vel specialiter certis personis praestitis, vel postea praebendis: sive hoc ipsum expressim principalibus dispositionibus, vel affatibus insertum, sive praeterissum sit, vel fuerit.

TIT. LII.

DE RE JUDICATA¹.

1. Imp. ANTONINUS A. Stellatori.

Rebus quidem iudicatis standum est. Sed si probare poteris eum, cui condemnatus es, id, quod furto amisisse videbatur, recepisse: adversus iudicatum agentem, doli exceptione opposita tueri te poteris. — 12 kalend. Mart. *ANT. A.* 4 et *BALBINO COSS.*

2. Idem, A. Pacatiano.

Res iudicatae si sub praetextu *computationis*² instaurentur, nullus erit litium finis. — P. P. prid. non. *ROMAE, LETO* et *CEREALE COSS.* 216.

3. Idem, A. et Demetrio et aliis.

Si pecuniam, quam mala ratione intercepisse vos apparuerit, iussi sitis inferre cum poena, et comperto praeepto praesidis non³ provocaveritis: universam quantitatem debetis inferre.

4. L. 13, § 6; L. 15, supr.; L. 79, D. de iudicis; § 1, vers. haec autem omnia, Inst. de pena temere litig.; — 5. d. vers. haec autem; L. ult. infr. quando provocare non est necesse; — 6. *Adde* L. 12, § 1 et seq.; infr. de prox. sacer. scrib.; — 7. Tit. D. quod quisque iuris in alterum.

Tr. LII. — 1. Lib. 42, D. 1. — 2. L. un. supr. de errore calculi; — 3. L. 1, infr. de his qui per met. iud. non appellaver.; — 4. L. 35, D. h. t.; L. 27, in fin. D. de exceptione rei judic.;

4. Imp. GORDIANUS A. Antonino.

Sub specie *novorum instrumentorum*⁴ postea repertorum, res iudicatas restaurari, exemplo grave est. — Dat. 8 id. Mart.

5. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Valentino.

Ad solutionem *dilationem*⁵ petentem acquievisse sententiae manifeste probatur: sicut cum, qui quolibet modo sententiae acquieverit. Nec enim instaurari finita rerum iudicatarum patitur auctoritas.

6. Imp. HONOR. et THEODOS. AA. Juliano proconsuli Africae.

Gesta, quae sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem. Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. — 3 kal. septemb. *ROMAE, CONSTANTIO* et *CONSTANTE COSS.* 414.

TIT. LIII.

DE EXECUTIONE REI JUDICATAE.

1. Imp. SEVER. et ANTONINUS AA. Justino.

Nimis prope iudex *pignora Marcellae capi, ac distrahi jussit* ante rem iudicatam. Prius est ergo, ut servato ordine, actionem adversus eam dirigas, et causa cognita sententiam accipias. — P. P. 3 kal. febr. *ATBINO* et *EMILIANO COSS.* 207.

2. Idem, AA. Agrippae.

Si causam iudicati non novasti⁴, rem iudicatam praeses provinciae etiam *pignoribus*⁵ captis ac distractis ad emolumentum perducere iubebit. Quod si novata causa est, ex stipulatu tibi actio competit: et iudice accepto secundum iuris formam experire.

3. Idem, AA. Agrippae.

Ordo rei gestae, et mora solutionis, quae intercessit, constantius desiderat remedium. Si itaque praesidem provinciae, qui rem iudicatam exsequi debet, adieris, et allegaveris res soli, quae *pignori* datae sunt, diu subhastatas, ex compacto, sive ambitione diversae partis emptorem non⁶ invenire [potuisse], in possessionem earum te mittet, ut [vel] hoc remedio res tamen protracta ad effectum perducatur. — Dat. 11 kal. Jul. *MESSALA* et *SABINO COSS.* 215.

4. Idem, A. Marcello militi.

Stipendia⁴ retineri propterea, quod condemnatus es, non patietur praeses provinciae: cum rem iudicatam possit aliis rationibus exsequi. — P. P. 5 non. *

5. Imp. GORDIANUS A. Amando.

Etiam *nomen debitoris* in causa iudicati capi posse, ignotum non est. — P. P. 5 id. octob. *ATTICO* et *PRETEXTATO COSS.* 243.

6. Imp. PHILIPPUS A. et C. Titiano.

Si (ut proponis) rerum iudicatarum *executor*⁶ datus partes [sibi] iudicis vindicavit⁷, et contra ea, quae pridem pro partibus tuis fuerunt statuta, aliquid pronunciatum putavit: sententia ab eo dicta vim rei iudicatae obtinere nequaquam potest.

7. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Theodoro.

Si longis apertisque frustrationibus partis adversae restitutio memorata est, etiam servis rebus humanis exemptis⁸: a frustratore aestimatio eorum restituenda est. Animalia quoque cum foetibus⁹ tibi intercessu praesidis representabuntur.

8. Idem, AA. et CC. Nicomacho.

*Executores*¹⁰ eum solum esse manifestum est, qui post sententiam inter partes audita omni et discussa lite prolatam, rei iudicatae vigorem ad effectum videtur adducere. — *Sine die et consule.*

9. Idem, AA. et CC. Glyconi.

Eos, quos debitores tuos esse contendis, apud rectorem conveni provinciae: qui sive debitum confessi, sive negantes et convicti fuerint condemnati, nec intra statutum¹¹ spatium solutioni satisfecerint: cum late sententiae pignoribus¹² etiam captis, ac distractis, secundum ea, quae saepe constituta sunt, meruerint executionem, iuris formam tibi custodiet. — S. non. novembr. *CC. COSS.*

collata L. 31, pr. D. eod.; — 5. L. 5, supr. de recept. arbitri; L. 40, D. de pactis.
Tr. LIII. — 1. L. 4, § 4, D. de re judic.; — 2. L. ult. infr. h. t.; — 3. *Fac.* L. 5, § 1, infr. de iure domini impetr.; — 4. *Vide* tamen L. 40, D. de re judic.; — 5. L. 15, § 3, D. d. t.; — 6. L. pen. infr. h. t.; — 7. *Confer* L. 50, D. de iurisdic.; — 8. L. 8, D. de re judic.; — 9. *Arg.* L. 2, supr. de fructib. et lit. expens.; — 10. L. 6, supr. h. t.; L. 4, D. de appellation.; — 11. L. 2, infr. tit. prox.; — 12. L. 2, supr. h. t.; L. 31, in fin. D. de re judicata.

TIT. LIV.

DE USURIS REI JUDICATÆ.

1. Imp. ANTONINUS A. procuratoribus hereditatum.

Is, qui bona secundum dictam sententiam prosequitur: eas quoque rationes habiturus est, ut qui post legitimum tempus placitis non obtinuerit, usuram centesimam¹ temporis, quod postea fluxerit, solvat.

2. Imp. JUSTINIANUS A. Mennio P. P.

Eos, qui condemnati solutionem pecuniariam, quas dependere jussi sunt, ultra quatuor² menses a die condemnationis, vel si provocatio fuerit porrecta, a die confirmationis sententiæ connumerandos distulerint: centesimas³ usuras exigi precipimus: nec priscis legibus, quæ duas⁴ centesimas [eis] inferebant, nec nostra sanctione⁵, quæ dimidiam centesimam statuit, locum in eorum personam habentibus. — Dat. 7 id. april. Constantinop., Decio Cons. 529.

3. Idem, A. Joanni P. P.

Sancimus, si quis condemnatus fuerit post datas a nobis quadrimestres inducias, centesimas quidam usuras secundum naturam iudicati eum compelli solvere, sed tantummodo sortis, et non usurarum, quæ ex pristino contractu in condemnationem deductæ sunt. Cum enim jam constitimus usurarum⁶ usuras penitus esse delendas, nullum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio possit induci. Si enim sine emendatione relinquatur, aliquid absurdum, atque inelegans necesse est evenire: cum [usuræ] utiliter ex contractibus descendentes, plerumque minores centesimæ⁷ ex nostra lege factæ sunt: et necesse est minoribus usuris graviores supponi. Si enim ex iudicati actione centesimæ omnimodo currant usuræ, ex contractibus autem hoc raro contingit: in capitulis lege nostra tantummodo exceptis hujusmodi iniquitatem ipsa rerum necessitas introducebat. Et ideo pio remedio causam corrigentes, sancimus sortis⁸ tantummodo usuras usque ad centesimam currentes, ex iudicati actione profigari: non autem usurarum quantascunque usuras. Si enim novatur iudicati actione prior contractus: necesse est usurarum quidem, quæ anterioris contractus sunt, cursum post sententiam inhiberi: alias autem usuras ex iudicati actione tantummodo sortis procedere, et non ideo, quod forsitan consummata est quantitas sortis, et usurarum, totius summæ usuras postea colligi, sed sortis tantummodo. — § 1. Et cum antiquitas pessimo exemplo reis quidem condemnatis laxamentum duorum mensium præstabat: fidejussores⁹ autem eorum eodem uti beneficio non concedat, ut liceat victoribus, relictis propter legem condemnatis personis, a fidejussoribus eorum, vel mandatoribus statim pecunias, vel res in condemnatione positas exigere: hujusmodi acerbiteratam rescantes, sancimus quadrimestres¹⁰ inducias, quas dedimus condemnatis, etiam ad fidejussores eorum, et mandatores extendi, ne legi fiat derogatum. Cum enim interventor solvere compellebatur, et ipse reum coercere ad invitam solutionem, nullum condemnatus habebat sensum nostræ humanitatis: quia per medium fidejussorem¹¹ statim pecunias persolvere compellebatur.

TIT. LV.

SI PLURES¹ UNA SENTENTIA CONDEMNATI SUNT.

1. Imp. ALEXANDER A. Victori.

Si non singuli in solidum, sed generaliter tu, et collega tuus una, et certa quantitate condemnati estis: nec additum est, ut quod ab altero servari non posset, id alter suppleret: effectus sententiæ [pro] virilibus² portionibus discretus est. Ideoque parens pro tua portione sententiæ, ob cessationem alterius ex causa iudicati conveniri non potes.

2. Imp. GORDIANUS A. Anniano.

Quoties e tutoribus singulis procuratoribus datis, sequitur in omnium persona condemnatio, periculum sententiæ videtur esse divisum³: ideoque quod ab uno servari non poterit, a cæteris exigi non posse explorati juris est.

Tit. LIV. — 1. L. 2, in fin. infr. h. t. — 2. L. 1, supr.; L. ult. infr. cod.; L. ult. supr. tit. prox.; adde L. 31, in fin. D. de re judic. — 3. L. 1, supr. h. t. — 4. Adde L. 26, § 1, vers. ceteros, supr. de usuris. — 5. § 4, ceteros. — 6. L. 28, supr. d. t. de usur. — 7. L. 1, l. 2, supr. h. t. — 8. Adde L. 12, supr. de usuris; L. 4, supr. depositi; L. 49, in fin. D. de action. empti et vend. — 9. Confer L. 27, § 1, D. de pactis; L. 49, in fin. D. de action. empti et vend. — 10. L. 2, supr. h. t. — 11. Adde L. 29, D. de recepti qui arbitri.
Tit. LV. — 1. L. 39, in fin. D. de iure sci. — 2. L. 2, infr. h. t.; L. 45, D. de re judic.; L. 10, § 3, D. de appellat. — 3. L. 1, supr. h. t.
Tit. LVI. — 1. L. 63, D. de re judic.; adde infr. inter alios acta, vel judic.; L. 7, l. 14, l.

TIT. LVI.

QUIBUS RES JUDICATA NON NOCET.

1. Imp. ALEXANDER A. Masculino.

Si neque mandasti fratri tuo defensionem rei tuæ, neque quod gestum est, ratum habuisti: præscriptio rei iudicatæ tibi non oberit. Et ideo non prohiberis causam tuam agere sine præiudicio rerum iudicarum. — P. P. non. Maji, ALEXAND. A. CONS. 225.

2. Imp. GORDIANUS A. Athemio.

Res inier alios¹ iudicatæ, neque emolumentum afferre his, qui iudicio non interfuerunt, neque præiudicium² solent irrogare: ideo nepti tuæ præiudicare non potest, quod adversus coheredes ejus iudicatum est, si nihil adversus ipsam³ statutum est.

3. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Honorato.

Juris manifestissimi est, et in accusationibus⁴ his, qui congressi [in] iudicio non sunt, officere non posse, si quid forte præiudicii videatur oblatum.

Nec in simili negotio res inter alios⁵ actas absentis præiudicare, sæpe constitutum est. — Dat. Sirmii, 6 kal. decemb. C. Cons.

TIT. LVII.

COMMINATIONES¹, EPISTOLAS², PROGRAMMATA³, SUBSCRIPTIONES⁴ AUCTORITATEM REI JUDICATÆ NON HABERE.

1. Imp. ANTONINUS A. Rogatiano.

Nec vim stipulationis obtinere potest comminatio⁵ iudicis, qui certas usuras præstituros eos dixit, qui intra certum diem debitum non exsolvisent. — Prid. id. Januar. ANTON. A. 4 et BALBINO CONS. 214.

2. Imp. ALEXANDER A. Maximo.

Rei iudicatæ effectum non habet, quod per epistolam rector provincie solvere vos pecuniam reipublicæ jussit. — 4 Mart. MAXIM. 2. et ÆLIANO CONS. 224.

3. Idem, A. Zotico.

Ea, quæ causa cognita statuuntur, subscriptionibus⁶ revocari non posse, sæpe rescriptum est. — P. P. 6 id. septembr. ALBINO et MAXIMO CONS. 228.

4. Imp. GORDIANUS A. Asclepiodoto.

Interlocutio⁷ præsidis apud acta signata, [ut] nisi solutioni debiti is, qui convenitur, obsequium præstitisset, duplum seu quadruplum inferat: voluntas potius comminantis⁸, quam sententia iudicantis est: cum placitum hujusmodi, ne rei iudicatæ auctoritatem obtineat, juris ratio declaret.

5. Idem, A. Jucundo.

Judex, qui disceptationi locum dederat, partium allegationes audire et examinare debuit: nam subscriptionem⁹ ad libellum datam talem, quæ diversam partem in possessionem fundi mitteret, vicem rei iudicatæ non obtinere, non ambigitur. — P. P. 12 kal. febr. GORDIANO A. 5 et POMPEIANO CONS. 242.

6. Imp. PHILIPPUS A. et PHILIPPUS C. Cassiano.

Programma, si quod a præside provincie propositum est, vim rei iudicatæ nequaquam obtinere potest: nec comminationem¹⁰ vim rei iudicatæ obtinere manifestum est.

7. Imp. CONSTANTINUS A. ad Bassum P. P.

Quod magno conflictu sententia decerni solet, id paucis¹¹ litteris temere descriptis definiti fas non est. — Dat. 15 kal. april. CONSTANT. A. 6 et MAXIM. CONS. 306.

L. 27, D. de except. rei judic.; L. 14, in fin. D. de probat. — 2. L. 1, D. de except. rei judic. — 3. L. 1, supr. de fide instrum. — 4. L. 9, infr. de accusation. — 5. L. 2, supr. h. t., infr. inter alios acta; vide tamen L. 58, D. de legib.
Tit. LVII. — 1. L. 1, l. 4, l. 6, in fin. infr. h. t. — 2. L. 2, infr. cod. — 3. L. 6, infr. cod. — 4. L. 3, l. 5, infr. cod. — 5. L. 4, l. 6, infr. cod.; adde L. 7, supr. de sentent. et interloc. c. t. — 6. L. 5, infr. h. t. — 7. d. L. 7, supr. de sentent. et interloc. — 8. L. 1, supr. h. t. — 9. L. 3, supr. cod. — 10. L. 1, 4, 4, supr. cod. — 11. L. 2, supr. cod.; vide tamen arg. L. 15, infr. de donationib.

TIT. LVIII.

SI EX FALSIS¹ INSTRUMENTIS, VEL TESTIMONIIS JUDICATUM SIT.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. ad Bassianum.

Si tabulas testamenti, quas secutus procurator vir clarissimus sententiam dixit, falsas dicere vis, præbebit notionem suam non obstante præscriptione rei iudicatæ², quia nondum de falso quaesitum est.

2. Imp. ALEXANDER A. Optato.

Et qui non provocaverunt, si instrumentis falsis³ se victos esse probare possunt, cum de crimine docuerint, ex integro de causa audiuntur. — P. P. 16 kal. octobr. JULIANO 2 et CRISPINO CONS. 225.

3. Idem, A. Clementi.

Falsam quidem testationem⁴, qua diversa pars in iudicio adversus te usa est, ut proponis, solito more arguere non prohiberis; sed causa iudicati in irritum non devocatur, nisi probare poteris, eum, qui iudicaverat, secutum ejus instrumenti fidem, quod falsum esse constitit, adversus te pronunciasse. — P. P. 7 kal. septembr.

4. Imp. GORDIANUS A. Herennio.

Judicati executio solet suspendi, et soluti dari repetitio, si falsis instrumentis circumventam esse religionem iudicantis⁵, crimine postea falsi illato, manifestis probationibus fuerit ostensum. — P. P. 5 idib. sept.

TIT. LIX.

DE CONFESSIS¹.

1. Imp. ANTONINUS A. Juliano.

Confessus in iure pro iudicatis² haberi placet. Quare sine causa desideras recedi a confessione tua, cum et solvere cogaris. — Accept. 3 kal. octobr. GENTIANO et BASSO CONS. 212.

TIT. LX.

INTER ALIOS ACTA, VEL JUDICATA¹, ALIIS NON NOCERE.

1. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Epicrati.

Inter alios² res gestas aliis non posse præiudicium facere sæpe constitutum est. Unde licet, quosdam de heredibus ejus, quem debitorem tuum fuisse significas, solvisse commemoras: tamen cæteri non alias ad solutionem urgentur, nisi debitum probatum fuerit. — 5 kal. april. Byzantio, AA. CONS.

2. Idem, AA. et CC. Epicrati.

Inter alios factam transactionem³ absentis non posse facere præiudicium notissimi juris est. Quapropter, adito præside provincie, aviam tuam mancipium tibi donasse proba: ac si hoc iure ad te pertinere perspexerit, restitui tibi providebit. Neque enim si te absente divisionem ejus fecerunt, aliquid iuri tuo derogari potuit. — S. idib. aprilis.

3. Idem, AA. et CC. Fortunatæ.

Si cum fratre tuo matris successisti: fratre pro portione tua cum debitoribus hereditariis paciscendo⁴, vel agendo, non ex tua voluntate, pro hereditaria parte tibi quesitam obligationem extinguere non potuit. — 5 idib. octobr. Retriæ, AA. CONS.

TIT. LXI.

DE RELATIONIBUS¹.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Profuturo P. F. annonæ.

Si quis iudicum duxerit esse referendum, nihil [inter partes] pronun-

Tit. LVIII. — 1. L. pen. supr. de transact.; L. 53, D. de re judic.; L. 5, supr. si contra jus vel utilit. publ.; L. 75, D. de iudicis, supr. si tutor vel curator falsis allegationib. — 2. Arg. d. L. pen. supr. de transaction. — 3. d. L. pen.; d. L. 53; d. L. 75; adde L. 29, D. ad leg. Corn. de falsis. — 4. L. 53, D. de re judic. — 5. L. 1, l. 2, supr. h. t.; L. 11, D. de exceptionib.
Tit. LIX. — 1. Lib. 49, D. 2. — 2. L. 6, § 2, D. h. t.
Tit. LX. — 1. L. 2, l. ult. supr. quib. res judic. non nocet; L. 7, § 4, D. de except. rei judic.; L. 16, in fin. D. qui potiores in pign.; L. 65, D. de re judic.; L. 2, infr. de exceptionib. — 2. L. 19, supr. de locato; d. L. 2, l. ult. supr. quib. res judic. non nocet; L. 2, l. 5, infr. h. t.; L. 2, infr. de exceptionib.; L. 1, l. 26, supr. de transactionib.; L. 27, § 4, in fin.
D. de pactis; L. 5, D. de transactionib.; L. 16, in fin. D. qui potiores in pign.; L. 65, D. de re judic.; L. 7, § 2, D. de accusationib. — 3. Fac. L. 51, D. de iudicis. — 4. L. 1, l. 26, supr.; L. 5, D. de transactionib. — 5. L. 27, § 4, in fin. D. de pactis.
Tit. LXI. — 1. Lib. 49, D. 1; adde N. 115, c. 1; N. 125, c. 1. — 2. L. 3, infr. h. t.; L. 15, infr. tit. prox. — 3. L. 6, in fin. infr. d. t. — 4. L. ult. § 1, infr. d. t. — 5. L. 1, in fin. supr. h. t. — 6. d. L. 1, l. 6, § 1, D. de interdict. et relegat.
Tit. LXII. — 1. Lib. 49, D. 1; N. 115. — 2. L. 5, supr. fin. regard.; L. 7, infr. ad leg. Jul. de vi publ. et priv. — 3. L. 4, supr. de ord. judicior. — 4. L. 1, § 1, D. h. t. — 5. L. 1, D. nihil innovari appellat. interpos. — 6. L. 7, l. 11, infr. h. t.; L. 2, infr. de decurionib. — 7. L. 1, un. D. de libellis dimissis. — 8. Infr. si pendente appellat. mora interven. — 9. N. 82, c. 12.

ciet: sed magis super quo hæsitandum putaverit, nostram consulat scientiam, aut si tulerit sententiam, minime postea, ne a se provocetur, relatione præmissa terreat litigantes: sciens quod si hoc fecerit, nihilominus jure appellationis res agitur. Sed nec ad nos mittatur aliquid, quod plena² instructione indigeat. Quoties autem ad nostram scientiam iudex se pollicetur relaturum, consultationis exemplum litigatoribus illico³ edi apud acta jubeat: ut si cui forte relatio minus plena, vel contraria videatur, is refutatorias⁴ preces similiter apud acta sine aliqua frustratoria dilatione offerat. — Dat. 3 kal. februar. Sirmii, CONSTANT. A. 5 et LICINIO CONS. 312.

In AUTHENT. ut iudices non expect. sacras jussio, § 1, col. 9, tit. 8, al. 4, Novell. 125, cap. 1.

Novo jure causa perfecte examinata, sententia terminetur: quæ executioni legitime demandatur, nisi ab ea fuerit appellatum.

2. Imp. VALENT. et VALENS AA. ad Viventium P. P.

Super delictis provincialium nunquam rectores provinciarum ad scientiam principum putent esse referendum, nisi ediderint prius consultationis exemplum: quippe tunc demum relationibus plena veritas est, cum vel allegationibus repelluntur⁵, vel probantur assensu. — Dat. 3 kal. Januar. Trev. VALENTINIANO et VALENTE AA. CONS. 363.

3. Idem, AA. et GRATIAN. A. ad Apodemium.

Si quando ratio, aut necessitas est in negotiis nostra iudicia requirendi, expectandique responsa, omnes omnino causas relationis series comprehendat⁶: ut recitata consultatione, quæ ita est dirigenda, prope modum actorum recensione non sit opus: actis etiam necessario sociandis. — Dat. 6 id. Maji Trev., VALENTINIANO NB. P. et VICTORE CONS. 369.

TIT. LXII.

DE APPELLATIONIBUS¹ ET CONSULTATIONIBUS.

1. Sententia divi SEVERI A. data in persona Marci Prisci idibus Januar. POMPEIANO et AVITO CONS. 210.

Prius de possessione² pronuciare, et ita crimen³ violentiæ excutere præses provincie debuit: quod cum non fecerit, [juste ab eo] provocatum est.

2. Imp. ALEXANDER A. Plautiano.

Novum quod postulas non est, quod etsi rescripti⁴ mei auctoritas intercesserit, provocandi tamen facultas tibi non denegetur.

3. Imp. GORDIANUS A. Victori.

Appellacione interposita, licet a iudice repudiata sit, in præiudicium deliberationis nihil fieri debere, et in eo⁵ statu omnia esse, quo tempore pronuciacionis fuerunt, sæpissime constitutum est. — P. P. 4.

4. Imp. PHILIPPUS A. et PHILIPPUS C. Probo.

Si ad scribatum nominatus⁶ non provocasti, convelli statuta non possunt.

5. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Valenti et aliis.

Præses provincie, ad quem appellasti, si non vitio negligentie vestræ tempus, quod ad reddendos apostolos⁷ prescriptum est, exemtum esse animadvertit, sed ex fatalis casus necessitate diem functo eo⁸, qui eos perferrebat, id accidisse cognoverit, iuxta perpetui juris formam desiderio vestro medebitur.

6. Idem, AA. et CC. dicunt.

Eos, qui de appellacionibus cognoscent, ac iudicabunt, ita iudicium suum præbere conveniet, ut intelligant, quod cum appellatio post decimam sententia litem interposita fuerit, non ex occasione aliqua remittere negotium ad iudicem suum fas sit, sed omnem causam propria⁹ sententia determinare conveniat: cum salubritas legis constitutæ ad id spectare videatur, ut post sententiam ab eo, qui de appellacione cognoscit, recursum fieri non possit ad iudicem, a quo fuerit provocatum. Quapropter

Tit. LXII. — 1. Lib. 49, D. 1; N. 115. — 2. L. 5, supr. fin. regard.; L. 7, infr. ad leg. Jul. de vi publ. et priv. — 3. L. 4, supr. de ord. judicior. — 4. L. 1, § 1, D. h. t. — 5. L. 1, D. nihil innovari appellat. interpos. — 6. L. 7, l. 11, infr. h. t.; L. 2, infr. de decurionib. — 7. L. 1, un. D. de libellis dimissis. — 8. Infr. si pendente appellat. mora interven. — 9. N. 82, c. 12.